

LECTORI BENEVOLO.

Iam duo et quod excurrit anni praeterlapsi sunt, ex quo novae Basilicorum editionis prospectum tibi proposui. Priusquam autem ad ipsam editionem parandam accedere liceret, necesse erat, ut Codices manuscripti Basilicorum varii, qui hactenus in bibliothecis latebant, conferrentur et describerentur. Cui rei cum mihi variis negotiis occupato vacare et operam dare non liceret, tamen nancisci mihi contigit hominem graecae latinaeque linguae satis gnarum, fratrem dilectissimum, *Gustavum Ernestum Heimbach*, qui precibus meis expugnatus hoc non minus necessarium quam taedium saepe et molestum Codd. Mss. excutiendorum negotium suscepit eique tam parem se exhibuit et etiamnunc exhibet, ut quae in hac Basilicorum editione nova et meliora quam in Fabrotiana reperiantur, me huic potissimum debere ingenue profitear. Per sex menses is Parisiis commoratus duo Codd. Mss. Coislinianos, quorum alter num. CLI. notatus novem priores Basilicorum libros sine scholiis, alter num. CLII. insignitus libros XI. XII. XIII. XIV. cum amplissimis scholiis adhuc ineditis continet, cum Fabrotiana editione contulit et magna ex parte descripsit. Qui licet etiamnunc inde a mense Octobri anni praecedentis in Italia commoretur, Florentiae primum Codicibus Mss. Basilicorum conferendis, deinde Romae Tipuciti Paratilis describendis vacans, tamen quum literis eius certior factus essem, nullum in bibliothecis Italiae, quas visitavit, Codicem manuscriptum reperiri, ex quo ad priores Basilicorum libros supplendos et emendandos hauriri quicquam posset, non dubitavi ad ipsam editionem parandam et priores Basilicorum libros typis mandandos me accingere, quum larga, quibus hactenus uti nemo potuit, editionis locupletioris parandae subsidia penes me essent.

Quem nunc primum offero editionis novae fasciculum, quinque priores Basilicorum libros et sexti initium continentem, pleniore et integriore hos libros exhibere invenies. Fabrotus enim libros Basilicor. ab I — XVIII. Tit. 2. e Cod. Ms. Graeco Parisiensi num. MCCCLII. edidit, ut recte iam animadvertit Cel. *Bienerus*, Antecessor Berolinensis, et frater amantissimus in schedis mecum communicatis. Hic autem Codex Ms., ut notum est ex Fabrotiana editione, plures lacunas continet, et libro II. et VI. maxime mutilus est. Mihi vero in his Basilicorum libris edendis Codice Coisliniano CLI. uti licuit, qui longe plura, quam Cod. MCCCLII. adeoque in iis libris exhibet, quos a Fabroto integros editos esse hactenus arbitrabamur. Habet librum I. longe integriorem, libri II. Tit. II. et III. a Fabroto partim e Cod. MCCCLII. editos, partim ex Synopsi, Theodoro Hermopolita, Eustathio, Harmenopulo et Glossis Nomicis restitutos, libros III. IV. V. pleniore, et VI. totum, cuius nonnullos tantum titulos Fabrotus edidit. In reliquis libris VII. VIII. IX. cum Fabroti editione conspirat, et varias tantum lectiones suppeditat. Hunc Codicem Coislinianum praecipue in his Basilicorum libris edendis secutus tamen alia, quae in promptu erant subsidia, non negligenda esse putavi. Praeterea enim adhibui Anonymi *ἐκλογήν* s. *νόμων παρεκβολήν* hactenus ineditam ad priores decem Basilicorum libros, quae vulgo Theodori Hermopolitae nomine venit, cuius Codicem Ms. olim Meermanianum, qui nunc est eius possessor, Cel. *Bienerus*, liberalissime mecum communicavit. Haud exigua eius fuit utilitas in textu Basilicorum castigando et constituendo, quia locos Basilicorum singulos verbis eorum citat; minorem autem fructum ex lata et saepe inepta *ἐρμηνεία* selectis Basilicorum capitibus subiecta percepi, nisi ubi haec textum Basilicorum laudavit. Denique non praetermittenda erat Synopsis a Leunclavio edita. In textu constituendo id egi, ut non sine causa a textu Fabrotiano vel ubi Cod. Coisl. plura continebat, a textu in eo exhibito recederem. Singulis locis aut varietatem lectionis Fabrotianae aut Codicis Coisliniani sub textu notatam invenies, ita ut, si e Cod. Coisl. variam lectionem subiectam videris, existimandum tibi sit, me textum a Fabroto exhibitum esse secutum, etiamsi id disertis verbis notatum non sit, at contra si variam lectionem nomine Fabroti insignitam in notis animadverteris, credere debeas, me Codicis Coisliniani textum adoptasse. Subiecta praeterea est varietas lectionis ex Theodori Hermopolitae Codice Ms. Bieneriano et e Synopsi Leunclaviana. Codicum mancriptorum descriptionem accuratiorem praefationi toti Basilicorum operi vel certe singulis tomis praemittendae reservavi, unde eam hoc loco omisi.

Difficilem ac paene ingratum suscepi laborem in lib. II. Tit. II. *περὶ ἡμετέων σημασίας*, ut demonstrarem, quibus ex fontibus Fabrotus hunc titulum in Basilicorum

editione composuerit. Licet enim Scholia Basilicorum, Theodorum Hermopolitam, Eustathium, Harmenopulum et Glossas Nomicas diligenter perlustraverim, tamen non potui ubivis fontem ostendere, ex quo Fabrotus singula istius tituli capita hauserit. Quos fontes demonstrare potuerim, in notis huic titulo subiectis reperies. Addas tamen his notis hunc eorum capitum tituli *de Verborum Significatione*, quae in Glossis Nomicis reperiuntur, indicem:

Cap. 8. pr. est et in Gloss. Nom. s. v. ὑποτρέβειν in Thes. Otton. T. III. p. 1771. — cap. 10. in Gloss. s. v. Λανεισινίης ibid. p. 1720. — cap. 16. in Gloss. s. v. μόνονος p. 1766. — cap. 22. in Gloss. s. v. κληρονομία p. 1752. — cap. 28. pro parte in Gloss. s. v. νοβάλις γῆ. et Σίλβα σέδονα p. 1767 et 1801. — cap. 37. pr. et §. 2. in Gloss. s. v. ὑποσημανθέν p. 1814. et s. v. διαμαρτύρασθαι p. 1725. — cap. 39. in Gloss. p. 1771. — cap. 41. in Gloss. p. 1813. — cap. 49. in Gloss. p. 1776. — cap. 53. pr. in Gloss. p. 1725. — cap. 54. in Gloss bis s. v. Μάγιστροι. p. 1761. — cap. 57. pro parte in Gloss. p. 1810. — cap. 60. in Gloss. p. 1775. — cap. 63. in Gloss. s. v. Μέριξ. p. 1763. — cap. 64. pr. in Gloss. p. 1786. — cap. 68. pr. pro parte in Gloss. p. 1759. — cap. 76. pr. in Gloss. s. v. Νεκεσάρια. p. 1766. — cap. 89. in Gloss. s. v. Πρόξιμος. p. 1791. — cap. 96. pr. in Gloss. s. v. Γνώσιν. p. 1719. — cap. 98. §. 1. in Gloss. p. 1725. — cap. 98. §. 2. pro parte in Gloss. s. v. μόρβονος. p. 1765. — cap. 107. in Gloss. s. v. μεσεγγυητής. p. 1763. et s. v. Σεκουέστωρ. p. 1800. — cap. 109. in Gloss. s. v. Κενσερί. p. 1751. — cap. 115. in Gloss. p. 1782. — cap. 126. pr. pro parte in Gloss. s. v. Ποινή. p. 1781. — cap. 133. in Gloss. s. v. διακατοχή. p. 1725. — cap. 139. in Gloss. s. v. Παλλάκή. p. 1775. — cap. 141. in Gloss. p. 1778. — cap. 149. in Gloss. s. v. Πρόξιμος. p. 1791. — cap. 158. pr. in Gloss. p. 1736. — cap. 171. in Gloss. s. v. Σοφίης. p. 1806. — cap. 172. pr. pro parte in Gloss. s. v. Πεκουρίαε κοινοποιούται p. 1777. — cap. 174. in Gloss. s. v. Καλίβη. p. 1750. — cap. 184. in Gloss. s. v. Έπαρχεῖται. p. 1734. — cap. 187. §. 1. 2. pro parte in Gloss. s. v. ἡ φαιμία. p. 1815. — cap. 189. in Gloss. s. v. Μεμηνηξέναι. p. 1763. — cap. 193. pro parte in Gloss. s. v. τῆ προσηγορία τοῦ πατρός. p. 1776. — cap. 203. in Gloss. s. v. φοῦδος. p. 1818. — cap. 212. pro parte paulo aliis verbis in Gloss. s. v. τῆ τοῦ υἱοῦ προσηγορία p. 1813. — cap. 216. in Gloss. s. v. Λεομά. p. 1723. — cap. 217. pro parte in Gloss. s. v. Μοιχός. p. 1764. — cap. 218. in Gloss. s. v. Κοῦλα. p. 1757. — cap. 226. pro parte in Gloss. p. 1816. — cap. 227. pr. in Gloss. p. 1815. — cap. 227. §. 1. in Gloss. p. 1715. — cap. 229. §. 3. in Gloss. p. 1769. — cap. 230. §. 1. in Gloss. s. v. Σέρβοι. p. 1801. — cap. 230. §. 2 et 4. in Gloss. s. v. Ἰγολας et v. Ἀβδένης (leg. Ἐδβένης.) p. 1736 et 1705. — cap. 233. pr. pro parte in Gloss. s. v. Προϊέκτομι. p. 1790. — cap. 235. pro parte in Gloss. Nom. s. v. Ποινή. p. 1781.

Ita cap. 2. §. 1. h. t. habet quoque Eustathius περὶ ὄρους. 2. et cap. 207. h. t. idem περὶ δύο ἡμερῶν. 2. et 4. et cap. 132. περὶ ῥοῦτης, ubi laudat Basil. lib. II. tit. 2. cap. 131.

Si igitur cap. 132. h. t. exceperis, quod nunc demonstrari potest, Fabrotum ex Eustathio desumsisse (sic notam p) ad p. 52. huj. fasc. emenda), tamen tres adhuc loci supersunt, quos unde Fabrotus hauserit, ostendere non potui. Hi sunt cap. 69. h. t. s. L. 72. D. 50. 16. — cap. 88. h. t. s. L. 91. D. eod. — cap. 99. h. t. s. L. 102. D. eod.

Haec autem nunc monuisse sufficiat. Nam de consilio, quod in editione adoranda secutus sim, de regulis, quas in universum in textu constituendo adoptaverim, de Codd. Mss. quorum ope Fabrotus Basilica ediderit, quibusque et mihi uti licuerit, plura in praefatione toti operi, aut certe singulis voluminibus praemittenda dicendi occasio dabitur: quamobrem hic tantummodo pauca his de rebus monui.

Si quid autem in hoc primo novae editionis fasciculo magis, quam in Fabrotiana editione tibi placuerit, benevole Lector, et textum locupletiolem, versionem textui magis consentaneam inveneris, acceptum id referas librario honestissimo, *Joanni Ambrosio Barthio*, qui insigni liberalitate sumtibus non pepercit ad Codices Mss. in bibliothecis exteris conferendos et describendos necessariis, referas acceptum fratris dilectissimi sagacitati et assiduitati; aliquid tamen etiam tribuas diligentiae et industriae meae. Scrips. in Universitate literarum Jenensi Kal. Septembr. anni MDCCCXXXII.

D. Carolus Guilielmus Ernestus Heimbach.

B A S I L I C O R U M

LIBRI LX.

T O M. I.

LECTORI BENEVOLO.

Quem nunc tibi offero editionis Basilicorum tomum primum, is libros duodecim priores Basilicorum continet. In quibus edendis praeter editionem Fabrotianam et Ruhnkenianam libri VIII. haec subsidia in promptu mihi fuerunt.

I. Codex Coislinianus num. CLI. notatus, nunc Parisiensis, iam a *Montefalconio* in *Bibliotheca Coisliniana* p. 216. descriptus, qui novem priores Basilicorum libros sine scholiis continet. Ex eo libros I. II. III. IV. V. VI. longe integriores ac locupletiores edidi, quam in editione Fabrotiana reperiuntur. In libris VII. VIII. IX. cum hac editione conspirat, nec plura continet, sed varias tantum lectiones suppeditat. Descripsit eum, et cum Fabrotiana editione contulit frater carissimus GUSTAVUS ERNESTUS HEIMBACH. In libro VI. edendo usus sum apographo Illustris HAENELII, Antecessoris Lipsiensis.

II. Codex Coislinianus CLII. a *Montefalconio* l. l. p. 217. descriptus, nunc Parisiensis, quo libri XI. XII. XIII. XIV. Basilicorum cum scholiis amplissimis adhuc ineditis continentur. Editi ex eo sunt libri XI. et XII., qui hoc volumine comprehenduntur, cum scholiis. Contulit eum et scholia descripsit frater carissimus.

III. Apographum Codicis in Bibliotheca Escoriali olim asservati, quo liber VII. et VIII. Basilicorum continebantur. Illud apographum olim ANTONIUS AUGUSTINUS possidebat; duobus voluminibus divisum, et ex exemplo ab eo rursus descripto, quod Lugduni Batavorum latebat, RUHNKENIUS librum VIII. Basilicorum cum scholiis amplissimis in lucem misit. Apographum libri VIII., quod olim ANTONII AUGUSTINI erat, in Hispania Illustris HAENELIUS sibi comparavit, et insigni liberalitate mecum communicavit. Ex eo ad librum VIII., quem ex editione RUHNKENII typis excudendum curavi, varias lectiones depromere mihi licuit, quas cum aliis ex Cod. Coisl. CLI. desumptis in notis indicavi.

IV. Anonymi *ἐκλογή* sive *νόμων παρεμβολή* adhuc inedita ad priores decem Basilicorum libros, quae Theodori Hermopolitae nomine circumfertur. Codicem ms. eius olim Meermanianum, Cel. BIENERUS, Antecessor Berolinensis, liberalissime mecum communicavit. Haud exigua eius fuit utilitas in textu castigando et constituendo, quum multi Basilicorum loci verbotenus in ea laudentur. Minorem fructum ex *ἐπιμνηστικῶν* selectis Basilicorum capitibus subiecta percepi, nisi ubi in ea textum Basilicorum laudatum inveni. Ut hanc *ἐπιμνηστικὴν* typis exscribendam curarem et locis Basilicorum congruis in hac editione subiicerem, non potui a me impetrare; ratus, consilio proposito me satisfacturum, si ad textum Basilicorum emendandum hoc opusculo uterer.

Praeter haec subsidia, quorum accuratiorem descriptionem excursibus peculiaribus in fine editionis adiiciendis reservavi, Synopsin Basilicorum a Leunclavio editam non negligendam putavi, ex qua varietatem lectionis in notis indicatam invenies. Haud exigua est eius utilitas in textu Basilicorum castigando, quae saepe meliores lectiones suppeditet, quam quae Codicibus Basilicorum manuscriptis exhibentur.

Editionis ipsius consilium hoc est. Textum Basilicorum ope Codicum Msstorum, quibus uti licuit, denuo recensitum, mendis, quibus in editione laborat, sive incuriae editoris, sive negligentiae typhotetarum ea tribuas, purgatum et correctum exhibere volui. In lectione Codicum servanda nimis anxius esse nolui: ubi mendum manifestum erat, corrigere illud vel ex ingenio non dubitavi, et si non in textum coniecturam recepi, in notis certe indicavi. In prioribus sex libris Basilicorum, quos integriores et pleniore, quam a Fabroto exhibentur, ex Codice Coisliniano CLI. edidi, fieri non potuit, ut editionis Fabrotianae tanta ratio haberetur, quanta in aliis libris integris a Fabroto editis eius necessario habenda est. Scio equidem, me vel ab humanissimo meae editionis censore, CL. WITTE, in ephemeridibus criticae litterariae Berolinensibus anni 1834. no. 91. p. 765. iniquitatis adversus Fabrotum accusari, quippe quem magis, quam par est, ibi neglexerim, ubi e Codice plura et integriora suppeditare mihi licuerit. Cui respondeo, me unum Codicem, qui textum pleniorem integrioremque exhibet, sequi, quam ex hoc et eo Codice, quo Fabrotus usus est, textum componere maluisse, idque ideo fecisse, quia sperabam, fore, ut, postquam sex priores Basilicorum libri integri ac sine lacunis in lucem missi essent, iisdem a Fabroto editis carere possemus.

In scholiis adornandis id egi, ut ea non post titulos, ad quos pertinent, una serie excudenda curarem, sed singulis locis, quos illustrant, subiicerem. In titulis tantummodo II. et III. libri II. et in libro VIII. ab hoc consilio discessi, et scholia a Fabroto exhibita post titulos excudenda curavi, idque ideo feci, ut quid Fabroti esset, quid meum vel aliorum, bene distingui posset. Sed ingenue fateor, me huius rei causa a CL. WITTE I. I. p. 765. et 767. iure esse reprehensum, meliusque facturum fuisse, si et haec scholia signis distincta locis textus congruis, ad quos pertinent, subiecissem. Quod idem monuit I. I. p. 764. numeros scholiorum ex editione Fabrotiana fuisse addendos, initio quidem omisi, sed inde a libro XI. feci ita, ut cuilibet scholio signum, quo a Fabroto notatur, et locum editionis Fabrotianae, quo positum est, adicerem. In eodem libro scholia nova e Cod. Coisliniano CLII. depromta, diversis manibus scripta ita distinxi, ut scholiis prima manu scriptis signum peculiare non praeponerem, scholiis secunda manu scriptis stellulam (*) praeponerem, scholia a Fabroto iam edita signo crucis (†) notarem. Eandem scholiorum distinctionem libro XII. XIII. et XIV. servavi. Argumentum autem scholiorum diligentius inquirere, et maxime locos Corporis Iuris et Basilicorum in scholiis laudatos evolvere et numeros corrigere, quod idem Vir clarissimus fieri vult I. I. p. 767., hoc certe ultra vires meas est. Tanto et tam taedioso labori, quo multorum annorum series consumenda foret, meum certe otium non sufficit, quum ante omnia muneri, quo in Supremo Provocationum Tribunali Ienensi multis negotiis occupatus fungor, satisfaciendum sit, et horae tantum subsecivae in hanc Basilicorum editionem, quae etiam si solum textum emendes, versionem corrigas, libros deperditos restituas, multorum annorum laborem desiderat, impendi possint. Accedit autem, quod numeri locorum in scholiis laudatorum ne possunt quidem ante bene corrigi, quam tota Basilicorum editio ad finem pervenerit. Ut enim taceam, ne in iis quidem libris, quos integros Fabrotus edidit, in singulis titulis numerum capitulorum semper recte se habere, sed interdum eundem numerum bis esse repetitum, certe numeri locorum ex libris Basilicorum deperditis et a Fabroto restitutis in scholiis laudatorum corrigi prius nequeunt, quam eos ipsos libros denuo restituerim. Ordo enim et numerus titulorum in libris a Fabroto maxime ex Synopsi restitutis verbi causa valde differt ab eo, quem exhibent index titulorum Codici Coisliniano CLI. praefixus et Paratitla Tipuciti. Praeterea haec res immensas habet difficultates, ubi in scholiis verba locorum Corporis Iuris et Basilicorum non laudantur, sed numerus tantum additur. Tunc facile fieri potest,

ut ad unum numerum corrigendum necesse sit, ut magna Corporis Iuris vel Basilicorum pars evolvatur, et ad extremum tamen locus, quem Scholiastes intellexit, reperiri nequeat.

Quod ad translationem latinam attinet, id mihi proposui, ut tam textum quam scholia *κατὰ πόδα* redderem: id quod non solum in his feci, quae primum hac editione in lucem misi, sed etiam in translatione Fabrotiana, quam eam ob causam denuo sub censuram vocavi, efficere studui. Nec iure mihi obiici arbitror a CL. WITTE l. l. no. 90. p. 755. not. *), quod textum iuris Iustiniani in versione nimis auxie secutus fuerim. Fateor quidem, in his locis Basilicorum, qui locos iuris Iustiniani *κατὰ πόδα* graece redditos continent, me textum latinum semper ante oculos habuisse, et nisi manifesta textus graeci appareret varietas, in versione adoptasse. Eos vero locos, qui aut latiore textus latini paraphrasin, aut epitomen continent, ita transtuli, ut saepe ne textum latinum quidem adhiberem, idque consulto feci, ne nimiam vim in meam versionem inspectio iuris Iustiniani haberet.

Edictum Leonis Imperatoris, quod Basilicis praepositum est, iam a Fabroto editum est. Frater carissimus illud invenit etiam in Codice Vaticano, num. DCCCLII. notato, seculi XIII., quo praeter alia Synopsis Basilicorum continetur. Praecedit inde a fol. 2. usque ad fol. 13. ^b index titulorum Synopseos. Fol. 15. ^b deprehenditur Edictum Leonis modo memoratum, quod excipiunt Apophthegmata septem Sapientium. Synopsis fol. 350. ^a finitur. Ad marginem Synopseos saepius scholia et loci iuris Iustiniani verbotenus laudati reperiuntur, scripti, ut frater opinatur, seculo XIV. Lectiones varias ad Prooemium Basilicorum ex hoc Codice in notis laudavi. Fabrotus hoc Prooemium Basilicorum edidit ex Codice Graeco Paris. MCCCLII., ex quo et octodecim priores Basilicorum libros idem Fabrotus hausit. Sed sunt lectiones eius Codicis, quae interdum a textu edito differant, ut frater amantissimus in schedis mecum communicatis notavit. Prooemium in hoc Codice initium est libri primi: nam antecedunt illud verba: ἀρχὴ δὲ τῆς θεῆς τοῦ πρώτου τεύχους τῶν βασιλικῶν νομίμων.

Maxima adhuc laboris pars superest in libris Basilicorum deperditis et a Fabroto ope Synopseos potissimum et Harmenopuli restitutis. Ac primum quidem cum Fabrotus nullibi fontem, ex quo singula Basilicorum fragmenta hauserit, addiderit, in eo elaborandum erit, ut fontes restitutionis ab eo tentatae diligenter examinentur et singulis locis addantur. Deinde inter omnes constat, Fabrotum plura iuris graeci monumenta, quibus uti debuisset ac potuisset, prorsus neglexisse. Refero huc scholia Basilicorum, Photii Nomocanonem, et Commentarium Theodori Balsamonis, Eustathii librum de diversis temporum praescriptionibus, Collectionem Constitutionum ecclesiasticarum aliosque iuris graeci fontes iam tempore Fabroti editos et tamen ab eo, quantum equidem in libro XIX. restituendo cognovi, non adhibitos. Praeterea, quod iam ex his fontibus multa Basilicorum fragmenta depromi possunt, mihi in promptu sunt Tipuciti Paratitla, largissimum, modo Synopsin exceperis, restitutionis subsidium, quibus describendis Romae frater amantissimus multum temporis impendit. Continent enim haec Paratitla multos Basilicorum locos, quorum modo textum genuinum, ut videtur, reddunt, modo argumentum indicant, sub iisdem titulis, qui Basilicorum fuerunt, repositos, ita, ut non solum in materia restitutionis congerenda, verum etiam in ordine eiusdem maxima huic fonti tribuenda sit auctoritas. Ad eundem ordinem accuratius definiendum etiam index titulorum totius Basilicorum operis, qui Codici Coisliniano CLI. praefixus est, et saepe a Fabrotiana editione differt, magnam vim habeat necesse est. Sed fieri non potest, quin me, licet fontes iuris graeci antea memoratos diligenter perlustraverim et fragmenta librorum deperditorum congesserim, multa tamen lateant, in bibliothecis potissimum recondita, quae ad rem propositam facere possint. Magnam igitur gratiam iis habeo, qui ad rem meam vel minimum quid sua industria ac liberalitate conferre velint.

Quod plures, verbi causa Cel. HUGO et WITTE in mea editione maxime desiderarunt, me nec totum nec paginam editionis Fabrotianae, nec numeros capitulorum in hac editione a mea diversos addidisse, quo futurum esset, ut usus operum Ictorum recentiorum, qui Basilicorum locos ex Fabrotiana editione laudaverunt, difficillimus redderetur, quum loci Basilicorum ab iis laudati in mea editione

reperiri nequirent, id lubenter iis concedo, haud parvum esse usus impedimentum. Ego vero re iam prius, quam ad editionem me accingerem, diligentius considerata propter externam operis formam, ne nimis notis et signis margo paginarum repletur, numeros editionis Fabrotianae omittere satius duxi. Quod tamen exinde usus meae editionis oritur impedimentum, id optime novo Manuali Basilicorum, finita ea, elaborando tolletur, quo diligenter utraque editio conferetur.

Basilicorum et scholiorum magnum esse in textu iuris Iustiniani emendando auctoritatem, quis est, quem fugiat? Mirum itaque videbitur multis, quod in hac editione lectiones Corporis Iuris ex Basilicis emendare ad eamque rem operibus Iureconsultorum recentiorum uti omiserim. Putabam autem, me textu Basilicorum castigando et latine transferendo officio editoris satisfacturum, quum ea colligere, quae ex Basilicis ad corrigendum iuris Iustiniani textum depromi possunt, magis ad munus editoris Corporis Iuris pertinere videatur. Valde laetatus sum, hac in re mihi assentiri CL. WITTE l. l. no. 91. p. 768.

Superest, ut gratissima mente agnoscam fratris amantissimi de hac editione merita. Hic enim per quatuor fere annos bibliothecas Galliae et Italiae perscrutatus, quae ibi ad rem meam facientia invenit, accuratissime descripsit, et sua industria et diligentia effecit, ut ad rem accedere potuerim. Maxime laetor, eum viris doctis iam ita se commendasse, ut inter horum studiorum cultores non sine laude nominetur. Maioribus eum laudibus ferrem, et maiorem in modum commendarem, nisi metuerem, ne quis hoc fraterno tantum amori tribueret. Quapropter a laudibus eius abstineo, et nihil aliud adiicio, quam hoc me maxime in votis habere, ut frater carissimus diligentiae et doctrinae, qua pollet, praemia splendidissima quam primum percipiat. Itidem gratias ago Viris Illustribus, FRIDERICO AUGUSTO BIENERO et GUSTAVO HAENELIO, quorum alter Codicem ms. Theodori Hermopolitae, alter apographum libri VI. Basilicorum e Codice Coisliniano CLI. ingenti liberalitate mecum communicavit. Gratias denique ago humanissimo huius editionis censori CL. WITTE, cui licet omnia ab eo monita non assentiar, tamen eo magis me obstrictum sentio, quo maior eius humanitas et benevolentia vel in vituperando apparet.

Dabam in Studio Jenensi Kal. Septembr. anni MDCCCXXXIV.

**INDEX LIBRORUM ET TITULORUM,
QUI HOC PRIMO TOMO CONTINENTUR ET EXPLICANTUR a).**

BIBΛION α'. b)

α'. Περὶ τῆς ἀνωτάτω Τριάδος καὶ πίστεως καθολικῆς, καὶ περὶ τοῦ μηδένα τολμᾶν, περὶ αὐτῆς δημοσίως ἀμφισβητεῖν.

BIBΛION β' c).

α'. Περὶ δικαιοσύνης καὶ νόμου, καὶ μακρῶς συνηθείας d).
β'. Περὶ δημάτων σημασίας e).
γ'. Περὶ διαφόρων κανόνων δικαίου ἀρχαίου f).
δ'. Περὶ φάκτου ἀγνοίας καὶ νόμου g).

LIBER I.

I. De summa Trinitate et fide Catholica, et ut nemo de ea publice contendere audeat.

LIBER II.

I. De iustitia et iure et longa consuetudine.
II. De verborum significatione.
III. De diversis regulis iuris antiqui.
IV. De facti et iuris ignorantia.

a) Eiusmodi titulorum indicem singulis editionis suae voluminibus Fabrotus quoque praecepit, ex inscriptionibus titulorum in variis, quibus usus est, Codicibus repertis, ut opinor, compositum. Nam ne unus quidem eorum Codicum, quos Fabrotus adhibuit, indicem titulorum totius Basilicorum operis continet. Quem ego titulorum indicem huic tomo praemisit, eum ex inscriptionibus, quae singulis titulis in Codicibus Coislinianis CLI. et CLII. praemittuntur, composui, modo librum X. Basilicorum exceperis, cuius tituli ex editione Fabrotiana hauriendi erant. Sed praeterea Codex Coislinianus CLI. duos titulorum indices continet, primum totius Basilicorum operis inde a fol. 1. — 18. b secundum in libros novem priores Basilicorum inde a fol. 19 a — 22 b. Hi indices saepe inter se conveniunt, saepe etiam differunt: et mirum est, ne in libris quidem novem prioribus eos cum inscriptionibus, quae titulis singulis in Codice ipso praefiguntur, omnino convenire. Praeterea saepius in utroque indice tituli iuris Iustiniani, ex quibus Basilicorum tituli compositi sunt, laudantur. Quapropter haud abs re esse videbatur, notare, quomodo uterque index tam inter se, quam ab edito differat, et locos iuris Iustiniani in eo laudatos subiicere. b) In libro primo maxime differunt titulorum indices. In Codice Coisliniano, uti in editione Fabrotiana, liber primus uno tantummodo titulo absolvitur. Etiam index Coisl. II. unum tantum titulum huius libri continet, adiectis titulis Corporis Iuris, ex quibus compositus est. Sed secundum indicem Coisl. I. liber primus ex his decem titulis constat: Tit. α'. Περὶ τῆς ἀνωτάτω Τριάδος καὶ πίστεως καθολικῆς, καὶ περὶ τοῦ μηδένα τολμᾶν δημοσίως περὶ αὐτῆς ἀμφισβητεῖν. βιβλ. α'. τοῦ κωδ. tit. γ'. κεφ. η'. (index Coisl. II. tit. ε'. κεφ. ν'.) περὶ ἐπισκόπων καὶ κληρικῶν, καὶ ὁμοιωτοροφείων, καὶ βρεφοτροφείων, καὶ πτωχείων, καὶ ξενοδοχείων, καὶ ἀσκητηρίων, καὶ μοναστηρίων, καὶ περὶ προνομίων αὐτῶν καὶ ἰδιοκτητῶν πεκουλλῶν, καὶ ἀγοραζομένων αἰχμαλώτων. καὶ περὶ γάμων κληρικῶν κεκωλυμένων ἢ ἐπιτετραμμένων. χρῆ δὲ εἰδέναι, ὅτι δύο μόναι διατάξεις τούτου τοῦ γ'. τίτλου ἐνταῦθα παρεξβλήθησαν, διατ. κθ'. περὶ τοῦ μὴ ἐν πόλει μοναχὸν διατρέψαι, εἰ μὴ μόνον τὸν ἀποκρισιώριον, καὶ διατ. κς'. περὶ τοῦ μὴ σταυρὸν ἢ λείψανα ἁγίων εἰς δόμους (index Coisl. II. οἴκους) δημοσίως ἢ τόπους πρὸς τέρας τοῦ δήμου ἀφορισμένους εἰσφέρειν. — Βιβλ. α'. τοῦ κωδ. tit. η'. περὶ τοῦ μηδὲν ἐξεῖναι τὸ σημεῖον τοῦ σωτήρος Χριστοῦ ἢ τοῦ σταυροῦ ἐν ἐδάφει, ἢ ἐν μαρμάρῳ ἢ γλίφει, ἢ ἐγγράφει — βιβλ. α'. τοῦ κωδ. tit. δ'. κεφ. ζ'. (index Coisl. II. rectius: tit. ια'. κεφ. ια.) περὶ παγανῶν θυσιῶν καὶ ναῶν. — βιβλ. α'. τοῦ κωδ. tit. δ'. κεφ. ζ'. περὶ ἐπισκοπικῆς ἀρχιερατικῆς καὶ διαφόρων ἀνηκόντων πρὸς δικαιοδοσίαν καὶ φροντίδα καὶ αἰδῶ ἱερατικῆν. Χρῆ εἰδέναι, ὅτι μόνη ι'. διατ. ἐνταῦθα ἐστὶ περὶ μαθηματικῶν. — [Tit. β'.] Περὶ αἰρετικῶν καὶ μανικαίων καὶ σαμαρειτῶν. βιβ. α'. τοῦ κωδ. tit. ε'. κεφ. κα'. — [Tit. γ'.] Περὶ τοῦ μὴ τὸ ἄγιον βάπτισμα ἀναβαπτίζειν. βιβ. α'. τοῦ κωδ. tit. ε'. κεφ. λα'. (index II. κεφ. λβ'.) — [Tit. δ'.] Περὶ Ἰουδαίων καὶ συναγωγῶν. βιβ. α'. τοῦ κωδ. tit. θ'. διατ. δ'. ζ'. η'. — [Tit. ε'.] Περὶ τῶν ἐν ἐκκλησίᾳ προσφρονούντων καὶ περὶ ἀναβωόντων. βιβ. α'. τοῦ κωδ. tit. ιβ'. διατ. α'. μόνη. κεφ. μδ'. — [Tit. ε'.] Περὶ τῶν ἐν Ἀφρικῇ ἐκκλησιῶν. κεφ. με'. νεαρά λζ'. — [Tit. ζ'.] Περὶ ἐκκλησιαστικῶν κανόνων διαίρεσις β'. γ'. δ'. ε'. νεαρά ρλα'. — [Tit. η'.] Περὶ ἐπισκόπων καὶ ἀναθεματισθέντων. διαίρεσις κέ. κα'. κη'. (index II. α'. κα'. κβ'. rectius) κγ'. κδ'. κεφ. μθ'. νεαρά μβ'. Περὶ αἰρετικῶν καὶ γυναικῶν αὐτῶν διαίρεσις β'. νεαρά ρθ'. κεφ. ν'. — [Tit. θ'.] Περὶ σαμαρειτῶν ἢ ὅλη νεαρά ρσδ', κεφ. νδ'. — [Tit. ι'.] Περὶ Ἰβραίων, πᾶς δὲ τὰς γραφὰς ἀναγιγνώσκων ὅλη νεαρά ρμζ'. (leg. ρμζ'.) Ὅλη νεαρά ρλβ'. κεφ. νδ'. Ἰδικτὸν Κωνσταντινουπόλεως ἢ περὶ αἰρετικῶν. Signa titulorum in indice Coisl. I. ad marginem posita sunt. Signum κεφ. addito numero i. e. κεφάλαιον, capitulum, denotat capitulum Basilicorum. Licet in hoc indice liber primus in decem titulos divisus sit, tamen non potui, quin ab eo discederem, et auctoritate Codicis, quo Fabrotus usus est, Codicis Coisliniani ipsius et eiusdem indicis II. et omnium iuris Graeco-Romani fontium librum primum uno tantum titulo expleri crederem. Nam et eum titulorum numerum, qui indice Coisl. I. continetur, falsum esse, abunde ex eo patet, quod numeri capitulorum libri primi ex Basilicis in hoc indice conspicui fere cum nostris consentiant, quod fieri non posset, si omnia huius libri capita decem titulis dispersa essent. Quapropter numeros titulorum in indice Coisl. I. additos, excepto tit. I., uncis inclusi. c) Index Coisl. I. Βιβλίον δευτέρον τῶν Βασιλικῶν ἔχει τίτλους ε'. Conspirat ceterum in hoc libro uterque index, nisi quod numeri titulorum in indice tantum I., non in indice II. ad marginem notati sunt, quod in hoc omissum est usque ad librum VI. medium. Mentionem tantum facio indicis Coisl. I., nisi index II. ab eo differat. d) Index Coisl. I. Tit. α'. Βιβλίον πρῶτον τῶν διγέσεων tit. α'. κεφ. α'. Περὶ δικαιοσύνης νόμου. — βιβ. α'. τῶν διγ. tit. ε'. (leg. γ') κεφ. ιγ'. Περὶ νόμων καὶ δογμάτων συγκλήτου καὶ μακρῶς συνηθείας. τὸ δὲ λα'. διγ. τούτου τοῦ τίτλου κῆται ἐν τοῖς βασιλικοῖς εἰς βιβ. β'. tit. ε'. κεφ. α'. — Βιβλ. η'. τοῦ κωδ. tit. νβ'. κεφ. μ'. ποῖα εἰσὶ μακρὰ ἔσθ. e) Index Coisl. I. et II. Tit. β'. Βιβ. ν'. τῶν διγ. tit. ις'. κεφ. α'. περὶ διαφόρων κανόνων δικαίου ἀρχαίου. f) Index Coisl. I. Tit. γ'. Βιβ. ν'. τῶν διγ. tit. ις'. κεφ. α'. περὶ διαφόρων κανόνων δικαίου ἀρχαίου. g) Index Coisl. I. Tit. δ'. Βιβ. κβ'. τῶν διγ. tit. ε'. κεφ. α'. περὶ νόμου καὶ φάκτου ἀγνοίας. — βιβ. α'. τοῦ κωδ. tit. ιη'. κεφ. ια'. περὶ δικαίου καὶ πράξεως ἀγνοίας.

ε'. Περὶ δέσεων βασιλεῖ προσφερομένων, καὶ περὶ τῶν πραγμάτων ἰκεσίας ἔξεσι προσφέρειν ^{h)}).
ς'. Περὶ βασιλέων καὶ δεσέων βασιλεῖ προσφερομένων, καὶ διατάξεων, καὶ ἀντιγραφῶν αὐτῶν ⁱ⁾).

BIBΛΙΟΝ γ' k).

α'. Περὶ ἐπισκόπων καὶ κληρικῶν καὶ χειροτονίας καὶ προνομίων αὐτῶν ^{l)}).
β'. Περὶ τοῦ ὁρισμένου εἶναι τὸν ἀριθμὸν τῶν κληρικῶν τῆς μεγάλης ἐκκλησίας Κωνσταντινουπόλεως ^{m)}).
γ'. Περὶ τοῦ τοὺς κληρικούς ἐξ ἑτέρας ἐκκλησίας μετατίθεσθαι εἰς τὸν τῶν ἑλλειπόντων στατούτων ἀριθμὸν ⁿ⁾).
δ'. Περὶ κληρικῶν ἀποστάντων τῆς καὶ αὐτοὺς ἐκκλησίας, καὶ περὶ τῶν οἰκοδομῶντων εὐκτηρίους οἴκους ^{o)}).

BIBΛΙΟΝ δ' p).

α'. Περὶ μοναστηρίων καὶ μοναχῶν, καὶ ἀσκητῶν, καὶ διαγωγῆς αὐτῶν ^{q)}).

BIBΛΙΟΝ ε' r).

α'. Περὶ ἐκκλησιῶν καὶ μοναστηρίων, καὶ εὐαγῶν οἴκων, καὶ τῶν πραγμάτων καὶ δικαίων αὐτῶν ^{s)}).
β'. Περὶ ἐκποίησης καὶ ἐμφυτεύσεως ἐκκλησιαστικῶν πραγμάτων ^{t)}).
γ'. Περὶ ἐκκλησιαστικῶν κανόνων καὶ προνομίων αὐτῶν ^{u)}).

BIBΛΙΟΝ ς' v).

α'. Περὶ ἀρχόντων καὶ τάξεως ἀξιωματῶν, καὶ προνομίων αὐτῶν ^{w)}).
β'. Περὶ ὑπάτων καὶ ἀνθυπάτων, καὶ λεγῶν, καὶ τάξεως αὐτῶν ^{x)}).

V. De precibus Imperatori offerendis, et de quibus rebus preces offerre liceat.

VI. De Principibus et precibus Principi oblatis, et constitutionibus, et rescriptis eorum.

LIBER III.

I. De episcopis et clericis, et ordinatione et privilegiis eorum.

II. De numero clericorum magnae Ecclesiae Constantinopolis definiendo.

III. De Clericis ex una Ecclesia in alteram transferendis in numerum statutorum, qui deficiunt.

IV. De Clericis, qui a sua Ecclesia discedunt, et de his, qui oratoria aedificant.

LIBER IV.

I. De monasteriis et Monachis et Ascetis et conversatione eorum.

LIBER V.

I. De Ecclesiis et monasteriis et venerabilibus domibus, et rebus et iuribus eorum.

II. De alienatione et emphyteusi rerum ecclesiasticarum.

III. De ecclesiasticis canonibus et privilegiis eorum.

LIBER VI.

I. De magistratibus et officiis dignitatum et privilegiis eorum.

II. De Consulibus et Proconsulibus, et Legatis, et officio eorum.

